

doctor processiones in Deo probare absolute ex processibus, quæ in creaturis sunt, sed processiones quas Scriptura Deo attribuit, ex his quæ in nobis sunt declarare, et ostendere contra hæreticos, quod intra Deum sint, et non ad extra, neque hoc repugnare Deo. Itaque dari processiones in Deo supponit D. Thomas, non probat: nec enim id probari potest ex naturali ratione, et ex his quæ in creaturis videmus, cum mysterium Trinitatis ex creaturis investigari non possit, quia in effectibus ad extra non exprimitur, nisi quod in Deo omnibus Personis commune est: sed D. Thomas hanc rationem explicandi Trinitatem Personarum ex processione Verbi, et amoris ex Augustino accepit, et ut meliorem secutus est, non ut demonstrativam Trinitatis, ut docet infra qu. xxxii, art. i, arg. ii.

Quare processionem dari in Deo ex Scriptura supponit D. Thomas in initio articuli. Deinde vero modum quo istæ processiones in Deo esse possint declarat, rejiciendo prius explicationes erroneas hæreticorum, qui solum agnoscebant in Deo processionem per ordinem ad extra, qua procedunt effectus a causa, vel causa se manifestat in effectibus. Intra Deum vero processionem non agnoscebant, quæ distinctionem inter rem procedentem, et suum principium ponat, et tamen unitatem in substantia seu essentia servet. Ad explicandum ergo quomodo intra Deum processio salvari possit sine diminutione aut divisione in ipsa natura, accipit D. Thomas processionem quæ est secundum actionem immanentem spiritualem, qualis est intelligere et velle, secundum quas dari processiones intra suum principium manentes, et non ad extra exeuntes manifestum est, idque præcipue in intelligibili actu videre est, secundum quem procedit con-

ceptio intra nos. Quod vero istæ processiones immanentes dentur, et quod ad perfectionem naturæ intelligentis pertineant, id optime ostendit D. Thomas non per congruentiam, sed per efficacem rationem, quia in nobis, (et idem est in quocumque intelligente) conceptio quæ procedit ad intra, procedit ex eo quod intelligit, et ratione ipsius intelligere convenit cui-cumque convenit (sive in omni individuo, et in omni intelligere conveniat, sive non) sufficit stabilire quod si convenit, ex eo quod intelligit, convenit, ex abundantia enim cordis, os loquitur: ergo ex perfectione simpliciter, et non repugnante Deo, quia intelligere maxima perfectio est, et quod convenit ex eo quod intelligit, perfectum esse debet; sicut probamus Deum esse bonum aut sapientem, quia hæc ad perfectionem sequitur, et hæc probatio efficax est, non congruentia tantum. Cum ergo totus iste discursus non ordinetur nisi ad explicandum modum quo possit intelligi processio in Deo, quam ponit Scriptura, non ad probandum illam dari, nihil obstant imperfectiones, quibus actiones istæ immanentes reperiuntur in creaturis, quia tales imperfectiones in Deum transferendæ non sunt, sed juxta perfectissimam ejus naturam sunt accommodandæ, quantum ad id quod perfectionis est.

Quare tota elucidatio discursus D. Thomæ ex responsione ad objectiones propositas clarius manifestabitur. Et relictis his quæ pertinent ad primum præsuppositum, de quibus sequenti articulo agetur, ad instantias quæ contra secundum afferuntur.

XXIV. Ad primam, dico quod actus immanens ita est qualitas quod eminenter est actio, quatenus est qualitas per modum actus secundi, et actus secundus vim habet actio-

nis; et sic aliquid producere potest effective, et non solum formaliter, et ratione sui constituere, imo si constituit tamquam actus secundus id facit, atque adeo tamquam habens totam actualitatem, et vim actionis, licet in se qualitas sit. De quo plura diximus in libris de anima, qu. xi. Ad id quod dicitur ex philosopho quod intelligere est quoddam pati, dicimus id verificari causaliter, et præsuppositive ad intelligere, non formaliter, quia antecedenter ad actum ipsum intelligendi debet intellectus informari objecto, seu specie intelligibili; et sic factus intellectus in actu operatur active, et emanative ipsum actum intelligendi, sicut potentia visiva informata specie coloris, elicit actum visionis; quod si elicit, non passive se habet ad talem actum, quasi tantum recipiens illum, sed active, quia emanat a se. Et hic sensus est tam manifestus in ipso philosopho ut mirari non possim viros doctos sic axioma istud accepisse: Quod intelligere est quoddam pati, quasi voluerit philosophus formalem rationem intelligendi non in operatione emanante, sed in informatione passiva constituere. Nam philosophi verba in iii de anima, textu ii, lect. vii, apud D. Thomam sic se habent: « Si igitur est intelligere sicut sentire, aut pati, quoddam erit ab intelligibili, aut aliquid hujusmodi alterum. Impossibile ergo oportet esse, susceptivum autem speciei, et potentia tale. » Ubi Aristoteles apertissime dicit ipsum intelligere esse quoddam pati, quatenus patitur ab intelligibili, et suscipit speciem, sicut etiam dixerat de sentire quod est pati quoddam a sensibili in libro ii de anima, textu v, ut constat ex D. Thomæ super illum locum, lect. vii, et i p. q. lxxix, art. ii, q. xiv, art. ii ad ii. Hoc autem quod est sensum informari specie, et intel-

lectum intelligibili, præcedit ipsum actuale sentire, et actuale intelligere, si quidem sentimus, et intelligimus per sensum, et intellectum informatum ipsa specie, cum a potentia, et objecto pariatur notitia. Et constat, quod ante notitiam non dicitur potentia cognoscens intelligere, vel cognoscere in actu. Si ergo philosophus ea solum ratione dicit quod intelligere est quoddam pati, quatenus intellectus suscipit speciem, et informatur ab intelligibili, tale informari, et tale pati non est ipsa notitia, nec ipsum intelligere, si quidem ex intellectu sic informato emanat, et paritur intellectio, et notitia. Esse enim operationem, et actionem potentiæ cognoscitivæ ipsum cognoscere philosophus ibi passim docet, et specialiter potest videri in eodem tertio de anima, textu cxi, et in eodemmet loco citato quod dicit intelligere esse quoddam pati, addit: « Quod intellectus est id quo opinatur, et intelligit anima. » Quare autem philosophus etiam explicet intelligere per pati, et informari a specie, et non per operari quod emanat ab intellectu sic actuato, et informato, ea ratio est, quia explicat intellectum possibilem prout distinguitur ab intellectu agente: intellectus autem agens dicitur talis, quatenus agit, et producit species in intellectu possibili, sicque reducit eum de potentia ad actum, ut intellectus factus in actu operetur, et cognoscat. Unde loquendo de intellectu per ordinem ad intellectum agentem, dicitur passivus seu passibilis respectu specierum, quæ illi ab agente imprimuntur antecederet ad intelligere, quia intellectus sic formatus speciebus in operationem intelligendi procedit. Eodem modo intelligitur dictum S. Thomæ infra quæstione xxxiv citata in argumento cum dicit, quod intelligere importat solum habitudinem intel-

ligentis ad rem intellectam, in quo nulla ratio originis importatur; nec enim dicit sanctus doctor quod ipsum intelligere, quod est operatio, non dicat emanationem, et processum ab intellectu, ut a virtute activa a qua egreditur, sed dicit quod istud intelligere (quod utique est operatio) importat solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in quo nulla ratio originis importatur, scilicet respectu rei intellectæ et cognitæ: ad hanc enim non comparatur intelligens secundum habitudinem originis: intelligens enim per hoc quod intelligit non originat, aut derivat a se objectum intellectum, et cognitum, sed ab eo, ut a formali termino, et specificativo, et motivo informatur, et perficitur; imo ad hoc ipsum ordinatur ipsa operatio, quæ est intelligere, ut per ipsam tamquam per notitiam, et per conceptum ejus tamquam per terminum, ipse intellectus in actu secundo fiat ipsum objectum intellectum, et ei in actu secundo uniatur intelligibiliter expresse, sicut per speciem impressam unitur intelligibiliter in actu primo, et impresse ipsi objecto. At vero in ipso intelligere quatenus est dicere, importatur ordo originis ad verbum, seu conceptum, quia dicere est proferre verbum, et verbum est originatum a dicente, cum tamen in intelligere res intellecta non sit eriginata ab intelligente, sed potius res intellecta comparatur ad intelligentem, ut forma objectiva informans, et perficiens ipsum, sive in actu primo per speciem impressam, sive in actu secundo per expressam, et per ipsum intelligere.

Cæterum quod intelligere ipsum non sit passio, sed operatio vitalis elicita, et procedens active ab intelligente, ipse D. Thomas nullatenus negat, ut patet in secundo contra gentil. cap. lxx et in tertio de

anima, lectione vii, §. Ostendit differentiam, ubi inquit: « Intellectus ergo possibilis est quo hic homo formaliter intelligit. Illud autem quo aliquid operatur sicut activo principio (id est, movente) potest secundum esse separari ab eo quod operatur, ut si dicamus quod Ballivus operatur per regem, quia rex movet eum ad operandum; sed impossibile est illud quo aliquid operatur formaliter, separari ab eo secundum esse. Quod ideo est, quia nihil agit in actu, nisi secundum quod est actu, etc. » Manifeste ergo D. Thomas appellat ipsum intelligere operationem, quæ emanat vitaliter ab intelligente, et intelligens operando, et agendo dicitur intelligere, non patiendo, licet respectu objecti, seu rei intellectæ non significet intelligere operationem per modum originis, sed per modum unionis cum ipso objecto, a quo ut a specificativo, et ut a termino formatur, et perficitur. Unde in quarto contra gentil. c. xi dicit D. Thomas quod: « Ipsum intelligere significat apprehensionem ejus quod intelligitur per intellectum. » Itaque in hac operatione vitali, quatenus intellectus comparatur ad objectum ut apprehendens illud intentionaliter, consistit formaliter intelligere.

XXV. Ad secundam instantiam sæpe a nobis responsum est, quod non est intentum S. Thomæ probare quod per omnem intellectionem quoquomodo consideratam procedit verbum, sed per intellectionem fecundam, et quæ convenit alicui tamquam principio exprimenti et manifestanti id quod intelligit. Hoc enim totum includit D. Thomas in illa causali: Quicumque intelligit, ex hoc ipso quod intelligit procedit aliquid, etc. ex vi intellectiva proveniens, et ex ejus notitia procedens. Quæcumque ergo natura intellectualis ex hac vi intelligendi, et

activitate in tota sua perfectione, et modo considerata petit quod aliquid procedat intra se, quatenus non solum est vis apprehensiva, sed etiam manifestativa, et expressiva, licet aliquando possit reperiri intellectio, et non expressio, ob aliquem particularem modum, quo invenitur. Sufficit ad propositum D. Thomæ ostendere, quod in quacumque natura intelligente ratio, et principium quare producitur verbum quando producitur, est ex eo quod intelligit: sic enim ad perfectionem pertinet processio ad intra, cum oriatur ex ratione intelligendi, et conveniat ex vi talis perfectionis processio conceptionis ad intra, saltem ut exprimat et manifestetur res intellecta: hoc enim non est imperfectio in natura intellectiva, quod manifestativa, et expressiva sit rei intellectæ: hoc enim pertinet ad fecunditatem et plenitudinem intellectus, et ad latitudinem cordis, ut eructet verbum bonum, id est, perfectum. Unde cum ex una parte Scriptura ponat in Deo processionem, et ex alia perfectionem naturæ intellectivæ pertineat habere fecunditatem ad exprimendum, et manifestandum, nec id sit imperfectio, concluditur in Deo esse ponendam, et explicandam processionem, quam ponit Scriptura per modum hujus processionis Verbi, et conceptus ad intra. Ad hoc autem non requiritur quod quicumque intelligit producat et exprimat verbum distribuendo ly quicumque pro singulis generum, et pro quocumque intelligere individualiter sumpto, sed sufficit quod ly quicumque distribuat pro generibus singulorum, seu pro quacumque natura intelligente, quia intentum D. Thomæ non est nisi probare quod in Deo detur ista processio, non quod in qualibet Persona detur, aut in quacumque intellectione individualiter sumpta, alias vellet proba-

re quod etiam Verbum, et Spiritus sanctus producerent Verbum; ad hoc autem sufficiebat ostendere quod ista processio convenit cuicumque intelligenti, ex eo quod intelligit, tamquam ex radice et principio, licet non semper: sic enim convenit ex perfectione naturæ intelligentiæ, et ad ejus perfectionem pertinet manifestare, et exprimere verbum: ergo hæc perfectio non debet deesse Deo, qui habet naturam intellectivam, nisi alias obstaret non posse in Deo esse processionem, hanc autem Scriptura aperuit dari in Deo: ergo secundum istam processionem quæ est perfectissima, ut pote conveniens naturæ intelligenti, ex eo quod intelligit, et intelligendo manifestat, ponenda est. Hic est discursus D. Thomæ et nervosus.

XXVI. Et non enervatur iste discursus ex instantia argumenti, quia aliqua Personæ in Deo perfectissime intelligunt, et ex tali intellectione non procedit Verbum, ut patet ex intellectione essentiali, quæ convenit huic Deo, ut abstrahit a Personis, et convenit Verbo, Spiritui sancto, nec tamen Verbum producant: dicitur enim quod in his intelligere non producit, quia non est ibi intelligere cum modo fecunditatis, seu cum modo requisito ad fecunditatem, qui modus solum est in Patre. Unde licet intelligere quantum est ex vi, et natura sua petat processionem Verbi, tamen si modus requisitus ad expressionem, et processionem desit in aliqua Persona, dabitur intelligere, prout ibi sine tali processione, sed tamen petet ex se, quod talis natura intellectiva habeat modum requisitum ad talem processionem, et fecunditatem, sicut habet in Persona Patris. Modus autem requisitus ad processionem est, quod detur distinctio inter procedentem, et principium a quo fit processio, cum

enim duo concurrant ad processionem, seu productionem, scilicet virtus, secundum quam fit processio, et extrema distincta inter quæ fit, quia si extrema non sint realiter distincta, neque processio realis est, oportet quod quicumque intelligit, ex eo quod intelligit procedat aliquid ab eo, quantum est ex parte virtutis, et perfectionis, quæ est radix hujus processionis, dummodo tamen non desint conditiones requisitæ ad distinguendum extrema, scilicet quod habeat oppositionem sufficientem ut distinguatur a re, seu termino procedente, quod est habere intellectiōnem per modum principii fœcundi ad exprimendum. Hoc autem principium non habetur in hoc Deo absolute sumpto, et præscindendo a Personis, quia sic abstrahit ab omni relatione, et consequenter ab omni oppositione relativa, quæ sola est principium distinctionis in Deo, ut probatum manet. Verbum autem habet quidem intelligere ratione divinæ naturæ, quam accipit vi suæ processionis, sed non habet modum principii fœcundi, quia ex parte suæ relationis solum se habet ut conceptus, et genitus, non ut concipiens, et exprimens; et sic non opponitur Verbo exprimendo a se, alias non solum esset Filius, sed Pater respectu alterius Verbi, ut jam supra deduximus. Similiter Spiritus sanctus habet quidem intelligere ratione divinæ naturæ sibi per identitatem cum spiratione, et impulsu communicatæ, sed ex vi suæ relationis solum se habet ut spiratus, quia solam relationem spirati habet, non autem habet relationem intelligentis, et dicentis per modum principii fœcundi, alias non solum esset spiritus, seu spiratus, sed etiam Pater. Unde ex vi suæ characteristicæ proprietatis, nec Spiritus sanctus nec Filius habent unde distinguantur, et opponantur alteri Verbo; et conse-

quenter non habent sic intelligere, quod habeant dicere, et exprimere, seu generare. Unde illa propositio universalis D. Thomæ: Quicumque intelligit, ex eo quod intelligit habet aliquid procedere intra ipsum, intelligitur, et limitatur ad quemcumque intelligentem per modum principii fœcundi, id est, non solum habentis virtutem, et perfectionem, seu actualitatem ad producendum (actualitas enim omnibus Personis communis est) sed etiam distinctionem ab extremo procedente; atque adeo oppositionem relativam cum illo, quia sine oppositione non datur distinctio. Et quod hæc restrictio et limitatio sit opponenda illi propositioni, non solum ex ipsa ratione habetur, sed ab ipsomet D. Thoma opposita est. Nam infra q. xxxiv, a. ii ponit quartum argumentum sic: « Quicumque intelligit, intelligendo concipit Verbum, sed Filius intelligit: ergo Filius est aliquod Verbum, et sic non est proprium Filii esse Verbum. » Respondet sanctus doctor: « Ad quartum dicendum quod eo modo convenit Filio esse intelligentem, quo convenit esse Deum, cum intelligere essentialiter dicatur in divinis, ut dictum est. Est autem Filius Deus genitus, non autem Deus generans; unde est quidem intelligens, non ut producens Verbum, sed ut Verbum procedens. » Ecce propositio D. Thomæ restricta ad quemcumque intelligentem cum fœcunditate, et principio distinguente a suo procedente, sine qua distinctione ut omnino requisita, processio stare non potest.

XXVII. Quod vero dicitur de beatis non producentibus verbum in nostra sententia, dicimus non producere verbum, quia suppletur, et unitur ipsis; et sic eorum intelligere fertur ad verbum ut unitum, non ut productum. Unde per se om-

ne intelligere petit quod procedat verbum, nisi uniatur, et suppleatur per unionem processio; sicut omnis natura substantialis petit subsistentiam ex se resultantem, nisi suppleatur per subsistentiam divinam. De illo autem qui verbum produxit, et in eo contemplatur, dico hujusmodi non producere verbum de novo, sed continuare productum; vel si producit de novo, erit ad manifestandum rem intellectam, non ut intellectam reddat.

Ad ea quæ obijciuntur contra discursum ipsum D. Thomæ respondetur ad primum, solutione ibi data, quæ vera et legitima est, eo quod conceptus, seu species expressa in nobis, et verbum ad duo munera ponitur. Primo, ut objectum intra intellectum reddatur intelligibile in actu secundo, et per modum termini in quo ab intellectu apprehendatur, eo quod objectum per se non est sufficienter intelligibile, et immateriale, ut per seipsum attingatur ab intellectu, ut terminus intellectus; nam licet per speciem impressam objectum reddatur intelligibile, et uniatur intellectui, tamen in illo specie solum redditur objectum intelligibile per modum principii intellectiōnis, non per modum termini intellecti. Oportet autem quod intellectum attingat objectum per modum termini, et rei intellectæ, et non in specie impressa, quia ibi solum continetur per modum principii intelligibilis, quo actuatur potentia ad eliciendum intellectiōnem, non per modum termini intellecti, nec poterat objectum intelligi in specie impressa, nisi reflexe, quod supponeret directe esse attatum; et sic esset eadem difficultas quomodo attingitur directe. Nec etiam potest attingi objectum prout extra intellectum in se, tum quia ibi plerumque est quid corporeum et non spiritualizatum; et sic non

proportionatum spirituali cognitioni; tum quia etiamsi objectum spirituale sit entitative, non tamen intentionaliter in actu secundo, et per modum rei intellectæ in actu terminantis cognitionem, quia hoc dependet ab ipso intelligere et intelligi, seu ab ipsa actuali luce, et manifestatione spirituali intellectiva, quæ solum intra intellectum fit, non extra intellectum egreditur; et sic objectum esse illustratum, et manifestatum per modum termini, et rei cognitæ intra intellectum, non convenit objecto ad extra. Unde ut objectum reddatur intellectum, procedit conceptus, seu species expressa, in qua repræsentatur objectum, ut intellectum et cognitum et manifestatum, seu expressum in actu, sicut in specie impressa, ut intelligibile in actu primo. Et hoc munus exercet in nobis conceptio intellectus circa objectum ut sit intellectum in actu per modum termini, et secundum hoc vocatur proprie species expressa, et conceptus. Aliud munus exercet, non in proportionando, et spiritualizando objectum in esse cogniti, et intellecti per modum termini, sed præcise in manifestando, et loquendo rem jam intellectam, et cognitam, sicque proprie dicitur verbum, seu sermo, et lux, quia omne quod manifestatur, lumen est, quamvis, et secundum prius officium, etiam verbum vocari soleat, et manifestatio sit, sed ibi exprimitur conceptus ad intelligendum, seu contemplandum rem ut per modum termini reddatur intellecta. Secundo modo, non ad intelligendum, sed quia intellecta est ex plenitudine cordis, et abundantia os loquitur. Et hoc modo procedit verbum, ut inquit Augustinus: « Non ex indigentia, sed ex intelligentia, » pertinetque ad perfectionem intellectus sic manifestare rem intellectam.